



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt IV. De causa physicè effectrice vnionis humanitatis & Verbi, tam principali, quàm instrumentaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

CAPVT IV.

De causa physice effectrice vnionis humanitatis & Verbi, tam principali, quam instrumentaria.

228. **P**ergo ad secundum caput difficultatis initio propositū, quod spectat productionem vnionis humanitatis cum Verbo & causam eius effecttricem physicam; cum partialem, tum instrumentalem.

Principalis causa vnionis ad Verbum, Deus solus, liberè operans.

Sed de principali quidem causa, si quaeratur quanam sit, non est diu litigandum. Est enim absque controverfia solus Deus, eoque Remigius in cap. 3. Abacuc, ex D. Augustino quem refert, aptat illud eiusdem Prophetae, *Domine, opus tuum*. Quis verò extrema tantoperè sciunda coniungere valeat, præter omnipotentem Deum? Et sanè entitas vnionis illius, est in vertice supernaturalitatis, atque adeò causam principalem postulat supra naturam, longè potiore iure quàm entia cetera secundum substantiam supernaturalia, quæ non nisi à Deo vt principali causa prodire possunt. Præterquam quòd præuenienda hic fuit emanatio naturalis subsistentiæ ex humanitate profundendæ: quam emanationem, vt potè necessariam, nulla vis creata inhibere poterat. Necesse igitur fuit, virtutem altissimi principaliter interuenientem, impedire effluxum illum, productione formæ impossibilis cum propria humanitatis subsistentiæ; hoc est vnionis cum diuino supposito. Atque ita scripturæ & Concilia semper effecttionem tanti mysterij absolute tribuunt Deo, quem dicunt in fuisse filium suum, & superuenisse ad id in Virginem. Deum potè intelligo vt in tribus personis subsistentem, ita vt non sit æterna hæc operatio magis propria Filio, quam Patri aut Spiritui sancto: quod cum Nestorius negasset, & hanc operationem Filio tantum tribuisset, grauiter à S. Cyrillo castigatus est lib. 4. pentabibli cap. 2. vbi sic concludit disputationem. [Eadem igitur operatur S. Trinitas; & quæcumque gesserit, ac voluerit Pater efficere, eadem & filius eodem modo facit; similiterque Spiritus sanctus. Singulis verò hypostasis tribuere seorsim operationes cuique proprias, nihil est aliud, quàm tres seorsim & prorsus inter se disiunctos Deos pronuntiare. Nam in S. Trinitate, illa naturalis vnitatis ratio, vnā prorsus in omnibus operibus motionem ostendit. Quod si dicamus, cum vna hypostasis mouetur ad opus, reliquis duas nihil agere, quomodò negari poterit, quin corpore inducatur sectio, propemodum locum quemdam singulis hypostasis tribuens, eo ipso quod extra reliquis & abiuncta cogitatur, non eo quod propriè subsistit, id enim verè dicitur, sed quod in cuiusque rei diuersitate, rationem, quæ ad naturalem vnitatem colligat, non patitur? Vna enim diuinitatis natura, in sancta & consubstantiali Trinitate, intelligitur.]

229. Hæc igitur vt dixi sunt extra dubium. Tantum quia modus operandi cum necessitate aut libertate, spectat ad causam efficientem, interrogari circa hanc principalem Incarnationis causam potest, an liberè an necessariò sit operata effectum in quo versamur. Qua in parte, videbimus disputationem non necessariam mouere, cum hæcenus exploratum apud omnes fuerit, Deum liberrimè executum esse Incarnationem. Quia ramen nonnulli recentiores, adhibita physica & moralis necessitatis distinctione, pronuntiarunt; Deum necessitate quidem physica in productione de qua agimus astrictum non fuisse, sed tamen moralem sic operandi necessitatem subiisse, eo quòd necessitate morali semper urgeatur ad operandum quod est melius; cu-

iulmodi profectò est Incarnatio: Propterea operæ pretium est, excutere, liberè ne an necessariò Deus effectum de quo agimus sic operatus. Ago de operatione, & de Deo à quo prodit. Neque enim hic intendo refellere fatuam planè opinionem veterum quorundam Hæreticorū, qui censuerunt Verbum Dei eo quòd naturæ esset ancipitis, & ex patre passibilis, naturali pondere cui nō plus obfistere quineuit quàm lapis suæ propensioni deorsum, ad cognatam carnis passibilitatem venisse, & necessariò fuisse incarnatum. Latè hoc in Eunomio refellit Gregorius Nyssen. orat. 11. (verius 12.) in Eunom. *sub finem*, estque adeò delirum vt alia refutatione non egeat. Hic ergo ago de libertate operationis toti Trinitati communis; & quaro, an libera, an necessaria fuerit.

Liberrimam Dei causalitatem effectnam in hæc effectum, tradiderunt passim Patres; cum docuerunt potuisse Deum non incarnari, & homines relinquere in statu illo infelici ad quem per peccatum deiecti fuerant. Ita Theodoretus in fine sexti contra Græcos. S. Anselmus l. 2. c. 5. *Deus homo c. 5.* Ratio non alia est in hac re, quàm in omnibus aliis. Omnes enim hæcenus DD. cum Magistro in 1. d. 44. affirmarunt, Deum omnia creata liberè voluisse, quia sunt bona non plena: quæ sicut propter bonitatem quæ pollent amari possunt, ita etiam propter defectum boni quod non habent, repudiari possunt. Quia igitur Incarnatio est quid creatum, (tamen nihil aliud sit creatum quod cum ea de bonitate possit contendere,) potuit à Deo non fieri. Nec sanè alioqui teneremur ob eam factam esse erga Deum grati. Nihil enim Deo debemus pro eo gratiarum, ad quod natura sua necessatur, v.g. pro æterna generatione, aut inspiratione. Nisi ergo Deus liberè Christum effecisset, non teneremur Deo propter Incarnationem factam & productū Christum gratias agere, quod absit vt quis concedat. Argumentum est Gregorius Nysseni orat. 11. (verius 12.) contra Eunomiū. Cum enim Eunomius fabularetur Verbum diuinum ex necessitate fuisse Incarnatum, sic eū refellit Nyssen præfatus id eum conatum, vt homo nihil Deo debeat, nec agere gratias teneatur. [Quis enim in gratiæ parte siue beneficii loco ponat, quod necessariò accidit, quamuis sit lucrosus & peruelle: Neque enim igni, caloris causa; neque aquæ fluxus, gratiam habemus, ad naturæ necessitatem, quod sit reuocantes: quia non possit ignis à calorifica operatione destitui: neque aqua stabilis in plano manere, sponte locali inclinatione motum prorsus attrahente. Si igitur natura necessitate beneficium incarnationis à filio hominibus factum esse dicunt, nullam omnino gratiam habent: quia non ad liberam & absolutam potestatem, sed ad naturalem necessitatem, quod factum est, referunt.]

Operatum ex morali necessitate, qui dixerint.

230. Receptissimæ huic doctrinæ, limitationem adhibuerunt recentiores quidam, affirmantes Deum omnia quidem creata (atque adeò etiam Incarnationem,) liberè producere, si sermo sit de libertate physica. At si agatur de libertate morali, Deum non posse non velle efficaciter, atque adeò etiam non producere, quod melius est. Ordinariissimæ quippe voluntatis, (cuiusmodi est diuina,) esse putant, non posse non ferri semper in optimum moraliter, seu quod magis deceat illam, magisque promouet gloriam eius.

Ita Granado l. p. tract. de voluntate diuina disp. 3. sect. 2. & sequenti, Ruis latissimè in opere de voluntate Dei d. 9. & 10. & alij nonnulli, qui nituntur primò autoritate D. Thomæ, affirmantes Deum semper facere quòd melius est; nominatim verò ita habet 1. cōtra Gent. cap. 7. §. 1. p. q. 2. 5. art. 6. & q. 47. art. 2. & 3. Adducunt itē Patres, qui dicunt, Deū semper velle optima: & quicquid reuera melius occurrerit, non licere dubitare

dubitate quin Deus illud voluerit, & fecerit. Ita Adrianus I. in epistola ad Episcopos Hispaniae. Augustinus lib. de quant. animae cap. 3. & lib. 1. contra aduers. cap. 14. & lib. 3. de lib. arbit. cap. 5. Cyrillus 2. Thesau. cap. 1. & optimè 8. in Iulian. ad cit. 3. Damascenus 2. fidei cap. 9. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 10. & 16. Nuntiantur in super ijsdem Autores varijs rationibus. Preceptum est, quæ ducitur ex summa Dei propensione in seipsum. Nam quilibet aliquem perfectè amat, vult perfectè bonum eius; ita vt quod magis è re eius est, potius velit quàm oppositum. Amare quippe, est velle bonum. Ergo perfectè amare, est perfectè velle bonum eius quod perfectè amatur. Non velles autem perfectè bonum illius quem amas, nisi velles quod est illi melius. Cum itaque Deus perfectè se amet, necessarium profus est, non physica sed morali necessitate, vt velit id vnde videt exitum vberiorum suam gloriam; cuiusmodi sine dubio est, incarnatio præ non incarnatione. Accedit ratio ducta ex necessaria conformitate voluntatis diuinæ cum sua regula. Quò enim voluntas perfectior est, eò actius alligatur regulæ suæ; & ab eius ducta non discedit. Atqui regna diuinæ voluntatis, alia non est quàm diuinus intellectus, pronuntians de amabilitate obiectorum, & monstrans quodnam ex illis dignius sit quod ametur efficaciter à diuina voluntate. Tamen igitur necesse est, diuinam voluntatem efficaciter ferri in obiectum amabilius, (cuiusmodi est illud quod est melius, id est ad diuinam gloriam commodius,) quàm necesse est, voluntatem diuinam conformari suæ regulæ; id est diuinæ sapientie rubricæ digiti, cuiusque per omnia ductum sequi. Minores quidam eiusdem sententiæ probationes, quod in illis radicantur, missas facio.

Refelluntur.

131. Mihi verò hæc ipse quas recitauit, & autoritates quas retuli, si quis probarent, multo plus viderentur probaturæ, quàm Aduersarij intendunt. Nimirum non modò probarent, inijci Deo necessitatem moralem faciendi quod melius est per ordinem ad Dei gloriam, vt Aduersarij affirmant, sed etiam inijci idem præstanti necessitatem physicam, quod repugnant. Atque ita rationibus illis ac testimonijs, contra quàm velint Aduersarij, concluderetur, Deum physicè necessitati ad producendum Christum, & efficiendam Incarnationem. Id verò sequi, manifestissimum est. Nam Deum perfectè amare seipsum, non modò necessarium est moraliter, sed etiam physicè. Diuinam quoque voluntatem sapientissimè se gerere, & à præcipientis sibi æternæ Dei sapientiæ ductu non aberrare, non modò moraliter est necessarium, sed etiam physicè. Igitur si efficax volitio, atque adeò productio eius quod est melius, consequitur perfectum Dei erga se amorem, & per diuinæ sapientiæ præscriptum indicitur, ideòque Deo necessaria est moraliter; profectò consequens est, vt etiam physicè sit necessaria: quod tamen ne aduersarij quidem admittunt, estque planè absurdum; quippe pugnans cum diuina libertate in prosecutione cuiusvis boni dimitti, cuiusmodi est bonum omne quod non est Deus. Sanè si efficax volitio atque productio eius quod est optimè, est physicè libera à Deo; igitur potuit ab æterno illam nolle efficaciter, & eius executione abstinere in tempore. Id enim omnino fert libertas physica circa talis rei productionem. Si itaque Deus ea volitione efficaci æterna, & applicatione temporaria potentie suæ circa illud obiectum quod melius est, carere potuit; statuamus caruisse. Tunc ex tali carentia, vel nihil consequeretur dedecens Deum; & sic Deus ne moraliter quidem dicendus esset necessitatus ea carentiam excludere. Vnde enim alioqui exoneretur ea moralis necessitatio? Vel consequeretur ali-quid, diuinæ sapientiæ & summo in se amoris indeco-

Theoph. Raynolds Christi.

rum; & sic Deus (contra suppositionem, necessitate) physicè ad carentiam prædictam excludendam, sicut ex doctrina quam expendimus, consequi affirmabam.

Moræ verò officia sunt, quas Granado supra sect. 6. num. 30. affundit, vt eius argumentationis splendorem dererit. At enim, cum necessitate morali, probè coherere libertatem simpliciter; quemadmodum in nobis datur libertas physica quoad declinationem omnium venialium collectiue sumptorum, quamuis ad aliquando venialiter labendum; necessitemur moraliter, secluso speciali privilegio. Ex quo inferit, non debere mirum videri, si cum diuina morali necessitate, quoad illud quod melius est, dicatur rectè coherere physicam circa id ipsum libertatem. Has dico officias esse meas; quia necessitas illa moralis aliquando leniter impingendi; qua omnes circa speciale privilegium laboramus, aliud non est quàm fragilitas nostra, impotens diu obistere torrenti, quo abripitur in bonum sensibile aduersans regulis rationis rectæ. Fastidiosus enim consilium illum perpetuò adhibendum, quandiu non cespitamus: ex quo fastidio, & illi adiuncta dormitione, oritur prolapsio: qua consecuta, euigilamus denud, & vires animosque resumimus, donec fatiscensibus rursus viribus, lassati denud torpemus, & cadimus; sicque identidem infallibiliter labimur, & supposita tardij illius depellendi molestia quam illibenter subimus, impotentiam incutimus; id est fragilem & ceruè difficultati succubituram in rectitudine obfirmandi facultatem, quæ dicitur moralis impotentia, & necessitatio; non physica, sed moralis. Quis verò ex ipsis vocum notionibus non petipicit, talem moralem necessitatem, infinitate constitutam & imperfectionibus scatentem, in Deum non cadere? Quare ratio natio, qua nouitum hoc placitum de morali diuinæ voluntatis necessitate ad decernendam & in tempore dandam Incarnationem appetimus, perstat inconcussa. Accedit exclusio precum, quæ ex sententia aduersariorum, manifestè sequitur. Ne enim prudenter oret, pro eò quod Deus non potest non facere. Si ergo bonum quod peto, est ad maiorem Dei gloriam, frustra peto: quia Deus necessitatur moraliter illud efficere. Si non est ad maiorem Dei gloriam, æquè frustra laboro in petendo, quia Deus necessitatur velle & efficere oppositum, quod est ad maiorem gloriam Dei. Euanescerent item admirationes illæ Apostoli, & Patrum, de indicijs Dei inscrutabilibus in vniuersa prædestinatione, non alterius; quia Deus non potuisset non facere quod fecit. Concludendum ergo omnino est, Deum in Christo efficiendo fuisse causam vnde cumque liberam, cum physicè tum moraliter, vt reiecta prædicta Dei necessitate morali, rectè statuunt Valentius Herice 1. p. d. 20. cap. 5. Alarcon d. sp. 3. de visione Dei cap. 7. & passim alij.

Ad testimonia in contrarium.

232. Argumentatio in contrarium confecta, facillè infringitur. Ac primum D. Thomas perperam allegatur, cum agat de effectibus diuinis melioribus physicè ac in genere entis: qua ratione, i plimet Aduersarij facerent Deum non necessitari moraliter ad faciendum quod est optimum, cum potuerit perfectiores rerum species in infinitum producere, vt constat ex diuinæ potentie infinitate, & specierum meliorum semper ac meliorū producibilitate. Potest etiam S. Thomas, facile accipi eodem sensu quo Patres qui postea allegabantur: ita scilicet vt significare tantum velit, Deum procreasse quod optimè habetur: non quasi dari melius nequeat, siue secundum se, siue comparatione omnium rerum, siue in ordine ad Dei gloriam: sed quia quod factum est, verè bonum est, & ordinatum ac vitiò vacans. Hic enim est sensus Patrum, quoties

D d 3 aignit

aiunt Deum semper facere quod optimum est. Aliquando verò dicunt, Deum semper facere quod est melius, ut retundant temeritatem humanorum iudiciorum, quæ interdum tanta sunt, ut pronunciare aulæ sit, quædam aptius congruentiusque potuisse in vniuerso disponi, quam reuera sint à Deo disposita. Quod spectat fatuitas Alphonsi Castellæ Regis, de qua Rodericus Sanctius 4. p. histor. cap. 5. Eam igitur impiam moralium fatuitatem ac temeritatem ut comprimerent Patres, commonent nos hebetudinis nostræ & concutientis visus; aiuntque, quicquid Deus sanxit ac fecit, debere nobis videri optimè factum ac constitutum, & longè melius quam si factum esset, prout nobis occurrit futurum fuisse melius: eo quod Deus maior sit corde nostro, & plura perpexerit quam nos perspicimus, agnoueritque rem in ordine ad finem quem habet sibi propositum, secundum regulas æternæ suæ sapientiæ, melius sic constitutum iri, quam si fieret prout nobis occurrit futura melior: quamuis ipsum Deum non lateant modi, eam & physicè & moraliter meliorem producendi, ac cum vberiore gloriæ suæ prouentu: quem tamen captare non necessitatur. Nihil itaque est Aduersarij in autoritate præsidij.

Ad rationes.

233. Sed neque in ratione. Nam quamuis Deus summè se amet, ideòque intrinseca bona sua sibi ex necessitate velutamen de bonis extrinsecis quæ Deum non perficiunt, alia est ratio: unde quamuis inter homines, quisquis alium perfectissimè diligit, adigatur ei velle quod est melius, quia inde magis perficitur; ad quod ei curandum, necessitatur vi perfecti amoris quo supponitur eum prosequi; tamen in Deo alia est ratio: quia Deus non emendicat à secundarijs voluntatis suæ obiectis vllam perfectionem; sed siue adsint, siue absint, est summè perfectus: nec plus ei accedit boni aut perfectionis per productionem eius quod est secundum se amabilius quia melius, quam per productionem deterioris. Quare ad neutrum præeligendum necessitatur. Hinc eueritur ratio pro aduersarij primo loco proposita, quæ ducebatur ex summo Dei erga seipsum amore.

Non difficilius conteritur ratio posterior, quæ petebatur ex necessaria diuinæ voluntatis confirmatione cum intellectu prælucente, & quæ meliora sunt præmonstrante. Negandum quippe est, diuinam voluntatem teneri sequi ductum intellectus monstrantis aliquid esse altero melius; siue secundum se, siue per ordinem ad diuinam gloriam. Alligatur quidem voluntas regulæ suæ, siue dictaminibus æternæ sapientiæ, quatenus sine eis non potest concipi, quia nihil volitū quin præcognitum. Item quatenus Deus omnia in sapientia facit. Ut tamen teneatur Deus amplecti quod sapientia eius iudicat optimum, nulla ratio persuadet.

Quare fixum esto, Deum quem Christi efficientem causam principalem esse vidimus, in Christo causando fuisse liberrimum, ac ne moraliter quidem necessitatum.

Physicum instrumentum ad unionem causandam repugnare, qui dixerint.

234. De causa verò instrumentali, difficultas est; supponendo (ut nunc supponimus,) potentiam obedientialem actiuam esse possibilem, possèque Deum assumere creaturam ordinis inferioris, ad coëfficiendum quidlibet, etiam si supernaturale, & ad quod nullam naturalem virtutis proportionem vel inchoationem congenitam habeat; cuiusmodi est aqua respectu gratiæ. Quamuis enim quod attinet ad id quod de facto contingit, planè existimem multa à plerisque Theologis diuinari, & gratis effundi; cuiusmodi est quod aqua

baptismi de facto efficiat physicè gratiam; & quod verba consecrationis Christum physicè producant: Nam aliquid tale reipso effici, nihil est quod congruenter persuadeat, nedum euincat; tamen si sermo sit de possibili; multorum qui de facto dissentiant sententia est, posse Deum extrinsecus assistentem, vti entitate prorsus extranea ad effectum producendum, cuius productioni naturaliter impar esset. Id ergo an in hac re valere possit, quoad B. Virginem circa vnionis effectiōnem, controuersia est. Negat Medina 3. p. q. 3. art. 4. nec sine sale & aceto in dissidentes, quos vocat *ridiculos Theologos* additque, eorū *dogma, ridiculum ac sine fundamento, & non sanum esse*. Argumentū Medinæ est, quod nulla creatura possit efficienter concurrere, ad communicationem substantiæ diuinæ faciendam humanitati. At concurrit ad eam, quisquis vnionem hypostaticam coëfficiat: Probat Medina antecedens, quia si creatura possit ita concurrere, necesse esset fieri creaturam habere in potestate & virtute sua esse diuinum: ac proinde fatendum esset, creaturam esse Deum, quæ est aperta repugnantiā. Est in eadem sententia Aluarez 3. p. d. 19. conclus. 2. & probat primò, quia creaturam attingere esse personale diuinum est impossibile; & tamen ita fieri oporteret, si vno hypostatica posset instrumentaliter effici per vim creatam. Secundò quia creatura non potest operari absque præsupposito subiecto: ad vnionis verò hypostaticæ effectiōnem, nullum præiacuit subiectum. Non enim Verbum, quod est actus purus; nec humanitas, quæ ante vnionem non fuit. Molina qui itidem differtur dari potuisse instrumentum efficiendæ vnionis hypostaticæ, inde hoc probat 1. p. q. 4. s. art. 5. disp. 2. ad 1. quod ita concurrere, longè altius quid sit, quam creare; & virtute sit confectæ esse, nullo præsupposito subiecto; ad quod quomodocumque fiat, ac etiam si non nisi instrumentaliter, virtus essentialiter infinita exigitur, quæ non potest enti creato communicari.

Non repugnare, verisimilis.

235. Contraria tamen sententia, plerisque granibus Scripturibus probata est, nec video quorūlibet Medina eam tanoperè desperatæque explosit. Docent eam Suarez 1. 1. 3. p. d. 10. lect. 1. Becanus tract. de Incarnatione cap. 2. q. 5. Bonacina disp. 2. de Incarnatione q. 1. p. 4. n. 3. Ratio ducenda est, ex inanitate contradictionum quæ ab aduersarijs obtinentur. Est enim reuera ridiculum quod obijcit Medina, necesse fore, creaturam quæ esse personale Verbi vniri instrumentaliter creaturæ, habere in potestate & vi sua actiua, esse diuinum. Nihil enim tale sequitur ex sententia proposita; sed tantum sequitur, vnionem effici per causam creatam instrumentalem; quod propriè loquendo, non est vnionem subesse potestati talis causæ, vel in ea contineri. Neque enim ita loqui solemus, de effectibus quos instrumenta accedente causæ principalis elevatione producant. Itaque euanesce portentum illud contradictionis, quo Medina sententiam propositam infamabat. Equè infirmum est, quod Aluarez opponebat. Nihil enim vetat, creaturam diuinitus sustolli ad attingendum esse diuinum personale; non ipsum esse efficiendo, vel actum aliquem ei imprimendo, quæ sunt planè impossibilia, sed tantum coëfficiendo sublime illud vinculum, ex cuius immixtione in humanitatem, factum est, ut ea natura per Verbum subsisteret, & homo esset Deus, communicato huic humanitati per viam illam, ipso personali effice diuino. Quod verò nullum ad vnionem præiacuerit subiectum, falsò dicitur. Non præiacuit quidem antecessione temporaria, ac ne momentanea quidem; sed satis superque est, quod prius natura præiacuerit. Alioqui si Deus in primo temporis momento quo creat portionem aliquam materiæ, educeret ex ea formam, dicendum esset, eam formæ

forma productionem fieri ex nullo subiecto præsupponitur, quæ adesse esse creationem; quod constat nullam rationem verum fore. Ut ergo productio vnionis, intelligatur fieri ex subiecto præsupposito, & non esse creatio, sufficit quod humanitas cui vnio aduenit, prius creatura præuenit. Quamvis autem daremus, vnionem creatione propria effici, & ex nullo subiecto præsupposito; non propterea exclusum censeri deberet instrumentum creatum in eius effectione. Neque enim vt aduersarius supponit, repugnat dari creatum instrumentum creationis. Vnde conruit repugnantia aduersus nostram sententiam, quam postremo loco ex Molina producam. Potuisset igitur creaturam aliquam assumi diuinitus, ad efficiendam instrumentaliter vnionem hypostaticam, extra dubium esto.

Verisimile etiam, de facto dari.

236. Addiderim verò, non esse improbabile, quod de facto B. Virgo, hoc est semen quod ipsa ad fetus conformationem suppeditauit, sine substantia femini congrua, eleuata sit ad instrumentaliter efficiendam vnionem hypostaticam: viderique possit id insinuasse Helychius homil. 2. de Deip. sub fine, vocans eam instrumentum incarnationis. Fauet etiam S. Bernardus lib. 4. de consid. c. 10. explicans Euangelicum fermentum à muliere commiscente confectum. Sic enim scribit, Sed & illa tria facta de Euangelio mixta & fermentum in panem vni, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videbitur. Quam bene ex muliere fermentauit, vt nec diuisione quidem facta carnis & animæ; à carne, vel anima, Verbum diuiseretur? Mansit & in separatione inseparabilis vnitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit restat præscribere, permanenti in totis tribus. Siue constantis, siue dissolutis, duobus, nihilominus perfectum in tribus vnitas personalis. Equè vnus Christus, vnique persona, Verbum, anima, & caro; etiam mortuo homine perdurauit. In vero Virginis (vt sentio ego,) commixtio hæc & fermentatio facta est; & ipsa, mulier quæ miscuit & fermentauit. Liqueat agere Bernardum, non modò de naturalis compositi quod in Christo fuit compactione, sed etiam de supernaturali: & significare, B. Virginem ad illud concurrissè effectrice. Quod autem addit, fermentum fuisse fidem Matris, non pugnat cum physica efficientia instrumenti Deiparæ in vnionem, sed tantum continet causam, quæ Deipara assumpta à Deo fuerit ad tam sublimem efficientiam.

In contrariū magis propendet Suarez t. 1. p. d. 10. fact. 1. eo ductus argumento, quod maternus concursus incipiat ab vnione materis & formæ, cui in Christo præiungit vnio hypostatica; quippe pertinet ad substantiale complementum existentis vtriusque illius partis; & eodem ordine adueniens vtrique, quo aduenisset propria & conaturalis substantia nisi fuisset impedita; nempe ante quauis cum alio concursum; siue substantialem, siue accidentariam. Hic tamen discursus non vrget. Negandum quippe est, concursum maternum obedientialem, imo qui ad materis rationem non pertinet, aſpicari ab vnione materis & formæ; nec hoc vlla ratione confirmat Suarez. Quare meritò non admittitur.

Acutus pungit, quod efficientiam physicam instrumentalem rerum creatarum in entia supernaturalia, vt etiam in gratiam sanctificantem, inficiat supra simus, si agatur de facto: quamvis admitteremus, eam efficientiam, quod attinet ad potentiam Dei absolutam, vacare repugnantia. Quomodo ergo physicam efficientiam instrumento creato dabimus in vnionem? Sed dicendum est, sententiam quæ admittit Sacramenta de facto causare gratiam, vel verba consecrationis physice Christum in Eucharistia producere, eo nomine displi-

cere, quod quamvis rem possibilem asserat, fidei tamen mysteria nouit & non necessarijs difficultatibus oneratur, reddatque inimicis nostris minus persuasibilia; affirmando, tantum miraculum quantum est in gratiæ productione per aquam quotidianam ac propè perpetuum esse. Et idem est de physica productione substantiæ Christi per verba consecrationis in iugi sacrificio. Tamen in productione instrumentali vnionis hypostaticæ per Deiparam, quia semel tantum facta est; incommodum illud non vrget. Ideoque non improbabiler affirmari potest, non modò id fuisse possibile; sed etiam de facto ita accidisse; quod affirmarunt graues quidam recentiores.

Vfus doctrinæ propositæ esse debet, resumptio & accrementum stuporis, quo supra perculsi sumus, considerantes B. Virginem, vt Damascenus scitè dixit, vnitarum inter se naturarum & tot miraculorum officinam fuisse quod enim multo mirabilius est; habemus, non modò in ea, sed etiam per eam tam magna & mira fuisse patrata.

C A P V T V.

De circumstantijs Physicæ effecttionis Christi Domini.

237. Sic expositis ijs quæ ad substantiam effecttionis Samarum vnionum Christum cõpignentium spectant, agendum sequitur de vtriusque circumstantijs: quas non est quod seiungamus, quia eadem, & pro naturali, & pro supernaturali vnione efficienda fuerunt.

Eadem circumstantia, productionis humanitatis, & vnionis.

Quod easdem fuisse vtriusque productionis circumstantias assero; nempe & humanitatis Christi, & vnionis eius cum Verbo; supponit certam ex fide doctrinam, quod Christi humanitas non præexistit vnioni; sed quo primùm temporis momento formata est, eodem vnita fuerit Verbo Dei. Errant in hoc puncto Pelagiani & Nestoriani, qui Christum profectu ac meritis Deum statuebant; vtrumque eam Dei cognominationem acciperent; hominem item factum esse Deum, affirmabant. At Ecclesia Catholica vtrumque respuit. Nam Deum quidem, quia præexistit humanationi, factum carnem profitetur: negat tamen hominem esse Deificatum, vel factum Deum; quod supponeret præexilentiam hominis ad vnionem.

Gregorius quidem Nazianzenus orat. 5. 1. vt refertur & approbatur in Conc. Chalced. act. 1. hæc verba habet. [Aliud est quidem & aliud ea ex quibus constat Saluator; quoniam non idem est illud inuisibile, huic visibili: & id quod sine tempore, ei quod sub tempore. Non alius vero, & alius; Absit. Nam vtrique vnium sunt, propter temperamentum; Deo quidem humanato, homine verò Deificato, siue quocumque modo quis nominauerit.] Ita inquam apud Nazianzenum Latine factum legitur, contra modum loquendi quem tenendum diximus. Sed is, non Nazianzenus, qui accuratissime semper loquitur, sed interpretis error est, qui hominem dixit Deificatū, quod Nazianzenus nō dixit: & ided Billius melius sic expressit Nazianzenū. [Aliud quidem atque aliud sunt ea ex quibus constat Saluator: (nisi verò id quod ceru non potest, idem est cum eo, quod in oculorum aspectum cadit, & quod temporis expers est, cum eò quod tempori subest.) Non tamen alius atque alius; absit. Ambo enim hæc connexionem vnium sunt. Deo nimirum humanitatem, atque homine diuinitatem suscipiente, aut quocumque tandem nomine, quispiam vti malit.] Hanc autem esse veram Nazianzenum mentem, liquet cum ex Græco con-